

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemtu
concilii Tridentini in Gallia**

**Masius, Hector Gottfried
Lintrup, Søren**

[Hafn.], [1710]

Abschnitt

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](#)

Ad extremum non video, qua conscientia Galli Concilium Tridentinum pro universali venditare possint. Sæpe mihi rem probe cogitanti dubitandi ansa fuit, an serio audiat in Gallia Oecumenicum. Qui titulis movetur, forte crederet rem ita sese habere. Modo enim sanctissima Synodus universalis, modo Concilium omnium Conciliorum dicitur, sed hæc nomina sunt! Reipsa quid aliud agunt quotidie Galli, quam ut universalem ejus auctoratatem ac infallibilitatem infringant. Quod si quis ea, quæ supra bona fide ex ipsissimis Pontificiis adduximus, rite perpenderit, facile divinabit negotium. Qua de re Lectori judicium relinquo. Id tantum non possum præterire: *Maymbourgii in libro Gallice scripto*; *De vera Christi Ecclesia*, probare conatur, Concilium Tridentinum esse oecumenicum, nec ullum ipsi deesse requisitum Syndici vere universalis. At vero dum Protestantium argumenta contraria censet, partim in veritatem historiæ impingit, partim statum controversiæ immutat. Sæpe etiam in notis Concilii universalis fallit, eas dividendo, quas conjungere debbat. Sed de his alibi seorsim agemus. Ceterum quod rem ipsam attinet, diu demonstratum est a Protestantibus, Conciliabulum illud Tridentinum non esse Oecumenicum, & a nobis merito rejectum; causas suppeditavit *B. Hufemannus*, *Man. Aug. Confess. Disput. 19 ad Quest. 8. de causis recusati a Catholicis (Lutheranis) Concilii Tridentini*. Idem argumentum, quantum ad forum politicum spectat, traçtarunt *Hortlederus*, tom. I. c. 28. 29. & 30. *Goldastus in Politica Imperiali pag. 1200. & 1266.* quorum rationes eo tendunt, (1) quod debito modo non convocatum, sed a solo Pontifice indictum fuerit. (2) Quod totam Ecclesiam universalem non repræsentarit (3). Quod liberum non fuerit, sed tyrannicum, in quo quis reus erat, Pa-pa judicis partes sibi sumebat. Sed de his satis.

ANNO 1696. ad diem 6. Febr. Recusa 1710.